



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VII. Quia non solùm ipsa es humillimè purificata, sed etiam nos Deo purificas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Hieronymus. anno 1581. in clara nube spectantibus populis & cantu Angelorum percipientibus: in hortum Hectoris Dynastæ ejusdem loci Tungrentis delata: & et eo loco cum in templum iterato ac tertio transportaretur, per eosdem Angelos restituta, spectantibus & audientibus ad eam rem deputatis Commissarijs à Joanne Episcopo Cameracensi: viderunt promoveri per aëra, conspexerunt, quæ ferebatur, nubem candidam, suavem, cœlestemque sonum audiērunt: aërem leniter. Nè graventur homines in Dei atque ejus cultu impensas, aliquando provident, ut legitur apud *Joann. B. pt. Albes*. Vixit Eremita quidā in Tremitoria maris Adriatici insula, huic Domina nostra impetravit, ut templum Deo in sui memoriam magnificentum extrueret, interea pauperiem suam Eremita opposuit: Non procul inde ostendit illi Virgo locum, ubi esset thesaurum reperturus fabricæ suffecturum, sepulchrum id erat Diomedis terrā obrutum, in quo & corona, & thesauri reperti. Sed amplius Virgo procedit & ad cultum Dei subinde populos videtur compellere, unum sit inftar plurium quod ex *Alano de Rupe Psal. 3*. Laborabat in partibus Tolossanis S. Dominicus: qui postea Fundator Ord. Prædic. circa conversionem hæreticorum, sed ferè nullo successu recepit itaque se in silvam, ut ibi liberius quâ orationibus, quâ sui afflictione opem Numinis imploraret: adfuit illi Virgo Sacra, & monuit, ut conversionem hæreticorum inciperet à suafione cultus sui per recitationem Rosarij: redit Tolossam, & omnes campanæ spontaneo ceperunt convocare pulsu ad ædem S. Romani populum, ibi incipit commendare devotionem S. Dominicus, sed audita minus in animos descendebant, Juvat Virgo Sacra. Tempestatem jubet cooriri terribilem tonitruis, ac fulminibus, ut mundum ruere crederes. His percussus populus, promisit omnia Sancto Viro, dum tempestatem coercuerit, quod utrumque præstitum. Mons etenim est Virgo, qui non sibi pluviam cœlestem conservat, sed in nos valles humiles derivare conatur. Est *Virgula fumi ex aromatibus descendens* Cantic. 3. Aromata enim non occultant intra se odorem suum. Est Virgo Paradisus, uti *S. Bernardus serm. 3. in Salve Regina loquitur*. Sed de hoc Paradiso quatuor flumina egredientia, quatuor orbis plagas irrigant. *Guiliel. Durandus in Rationali lib. 7. cap. 7.* Omni tempore memoriam in Mariam habere debemus, quæ omni tempore ad Filium suum pro nobis peccatoribus intercedit.

7. Quia non solum ipsa es humillimè purificata,
sed etiam nos Deo purificas.

S. T. m.

S. Thom. de Villanov. serm. de Purif. describit Virginem S. Deo Patri suum Fi-
lium offerentem. Postquam ad altare ventum est, Virgo Sacra genibus flexis Di-
vino inflammata spiritu plùs quàm Seraphim Filium manibus tenens offert ipsum
Domino munus, & oblationem acceptabilem Deo in hunc modum orans: Suscipe
Pater Omnipotens, suscipe oblationem hanc quam tibi offero pro toto orbe An-
cilla tua, suscipe communem Filium, tuum ab æterno, meum in tempore. Petrus
Damiani serm. de Assumpt. illud Eccles. 24. Virgini S. attribuit. Ego feci in coelis ut
oriatur lumen indeficiens, & subdit. Nihil habuit Spiritus S. in visibilibus creaturis
excellentiùs, cui excellentiam Virginis, præter solem compararet: Luna enim non
obscurat dum lucet sidera, sol autem cum splendet & lunam & stellas quasi non
fiat, abscondit, similiter Virga Jesse veri prævia Luminis, in illa inaccesibili luce
præluces, sic utrorumq; spirituum habebat dignitatem, ut in comparatione Vir-
ginis nec possint, nec debeant comparere. Venit hoc Lumen in templum, Lumen
ad revelationem gentium, illuminat Sol ut discernamus lunas, ut discernamus
vias; nociva, utilia. Ubi Cantic. 8. Vulgata habet. Lampades ejus, lampades ignis.
LXX. legunt. Ale ejus, ale ignis. De lampadibus ad alas transitur; quia & illustrat,
& portat. Hic est Rubus Moysis, in quo Deus loquitur Moysen in novam ter-
ram ducturus. Portavit hic Rubus ignem in templum, hoc est Deum, qui est Ignis
consumens & emundans conscientias nostras; imò templum ipsum emundavit.
S. Theodor. Studia ode s. prof. imaginibus. Tu Virgo es Lucernarium auro exornatù,
quod Lumen intellectuale mundo peperit, & tenebrosum nubilum disparuit.
Alio sensu nos admonet circa idem B. Laur. Justinianus serm. de Purif. Mariam ani-
ma fidelis imitare, ut spiritualiter purificeris, & à delictorum valeas emundari
contagij, in templum cordis tui ingredi, & Deo per orationis studium, ac con-
templationis vacare contende. S. Hedvigis Ducissa Poloniæ, ut est apud Sur. 15. Octobr.
vivens ipsa multis sanitatem restituit, applicatâ capiti eorum icunculâ D. Virginis:
multis autem ab obitu annis inventa est in tumulo tres primos digitos habens
incorruptos, quibus imago Virginis inferta erat. Hoc videtur Virgo dedisse
Hedvigi post mortem testimonium, quæ Simeoni dedit Filium, quod utriq; fuisset
Ala ad cælum. Certè Exod. 2. Moyses per fiscellam salvatur. Ambros. in cap. 6.
Apoe. ait. Per Fiscellam scirpeam B. Virgo Maria designata est. Ramum olivæ in
diluvio attulit columba Noemo, nunc accipit gladium doloris Maria à Simeone,
ut compati nobis noverit. Petrus de Natalibus 21. in vita S. Danielis Abbatis narrat.
Vidit S. Daniel Latomum quædam in pauperes liberalissimum, oravit B. Virginem,
ut illi opes suppeditaret, quas tantò magis expenderet. Cui Virgo parata ait sum

tuo voto obsequi: dum spondeas eum opibus non abuturum. Spondet Daniel pro Latomo: & ecce Latomo dum frangit saxa, invenit thesaurum, sed in paupere durus efficitur. B. Virgo sponsorem urget: qui agnovit errorem & deprecatur. Tum Virgo, noli tam facile spondere; illius etiam animam servabo, & opes interea coeperunt evanescere, & rediit Latomo ad primam fortem, & misericordiam. *Bonav. in spec.* Advocata generis humani, Virga quidem, nam in tempore punit, aut nos puniri orat, quos summa felicitas sternit, directionis autem Virgine, quoniam ipsa est Directrix dubitationis nostrae. Direxit certe praeter alios S. Patriarcham nostrum Ignatium, ut est apud *Ribaden*, qui cum opus Constitutionum Societatis nostrae meditaretur, sapientissime solitus est conferre cum Virgine, ei preces, ac sacrificia jam sua, jam aliorum praesentans, quo factum est, ut non raro illi apparente, & lucem conferente, lux ejus fieret lux ad vitam. Caput Virginis ut Carmelus *Cant. 7. S. Thom. in Cant.* Carmelus significat scientiam circumcisionis. Virginis nomen ut aliqui ex Syriaco deducunt, significat Domina. *Cribri* in *Cherico S. Dominici* habetur. Margarita à Sabaudia Montis ferrati Marchioni nupta, gravibus podagrae afficiebatur doloribus, dum pro illis levandis S. Virgini supplicat, audit voluntatis suae esse, ut hanc crucem usque ad obitum perferret. Virgo Domina Cribri in quo Sathanas expetit, ut cribraret Apostolos, & nos aliquando cribrabit, & forte multi in cribrum accepti tunc, cum ei dictum. *Tuam ipsius animam gladius pertransibit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Expecterat quondam daemone ut monasterium S. Gertrudis cribraret *lib. 4. Just. c. 9.* sed Virgo mandavit Angelorum choro, ut illud custodiret. Quando Daniel cribravit cineres *cap. 14.* super pavementum templi, revelatae sunt multae fraudes, cujus haec vestigia? boni, an mali? quid isti & isti hic?

8. Quia non solum ipsa es mirabiliter in caelum assumpta, sed etiam nobis ad caelum praevivisti.

Narrationem hujus triumphus ordiemur verbis *mellifluis Patria Divi Bernardi, quae Romana Ecclesia in Brev. 21. Aug. lect. 4. ponit*, Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur Incarnati Verbi Mater in caelum; nec cessare debet à laudibus, humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in homine: sed de ejus gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterili concipere cogitatio, aut inerudita locutio potest parturire; hinc est quod & ipsi caelestis curiae Principes in consideratione tantae novitatis clamant non sine admiranda